

ILLVSTRISSIMO, NOBILISSIMOQVE VIRO

LVDOVICO GIRARD

COMITI CONSISTORIANO,

RATIONVM REGIARVM CATHOLICO PROCVRATORI, &c.

EN tuis adiacens pedibus Medicina nostra, Vir Illustrissime, *præsentem petit dextræ fauentis opem, & salutis reparatrix alienæ, salutem sibi ipsa efflagitat. Nisi eam puderet, hominum, quorum stat vel resurgit per ipsam incolumitas, implorare auxilium; tantum non ausa esset subsidium quærere, nec si eo quo laborat, periculo posset mortali facultate liberari, virtutem immortalem sollicitaret. Immortalis autem ea virtus, quæ mortuis superstes, & quæ post maiorum fata, in posteris salua est, & mortis nescia æternùm viuit. Hæc paulò fortè obscuriora videbuntur ijs, qui magistratus amplissimi, à parentibus tuis integerrimè gesti hæredem integerrimum nescient te & factum, & hæredes eiusdem integerrimos facturum. At quibus patet longa ista, continuaque dignitatis & innocentiæ successio, iam dudum propagata in te, & à te in filios propaganda; iis notissima est domesticæ tuæ virtutis immortalitas, quæ quia comitem in vobis omnibus nacta, & nactura est rerum omnium cognitionem, eo & vos beat illustriùs, & mihi potentiùs fauebit.*

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VLTIMA IANVARII.

M. TVSSANO FONTAINE Doctore Medico, Præside.

Est-ne in Medico ratio experientiâ potior? 588

MEDICVS ratione atque experientiâ nixus ingreditur. Nam intellectâ cuiusque propriâ naturâ, quæ grauia ingruunt corpori, ex symptomatis, causis, partium dignitate expendit; vt morbis cognitis sensuum, & mentis acie, bene penitùs sese insinuet in abstrusiores naturæ thesauros, atque inde eruat depromatque remedia, quæ opportunissima crediderit. Experientia autem felices illorum successus obseruat, vt rationis inuenta & cogitata confirmet: ita est vtraque altera sine altera debilis: quamuis enim in excolendis artibus principatum teneat ratio, nunquam tamen experientiam tanquam ancillam & pedissequam dedignatur. Pauci sunt quibus optimæ temperiei splendor igneus sic affulsit, eamque iudicii acrimoniam indidit, vt longo rerum vsu nihilò prudentiores futuri sint.

DIVINÆ auræ particula ratio mortalibus adspirat: tum si in Medico conuenienti doctrinâ exculta est, eiusque acies ita curata fuit, vt nullo errore cæcari possit, fit perfecta quædam & consummata medendi virtus, cui parum experientia addiderit: hæc autem dum seris ab annis venit, qui ei se totos mancipant, melioris ætatis iacturâ redimunt, vt quid melius sit videre incipiant, cum de vita illis migrandum est. Contrà ratio siue prudentioris Medici absoluta mens sublimi, ac viuidâ cogitatione lentam annorum moram præuertit, estque ipsa sibi longioris vsus, & disciplinæ compendium: vt quantùm acre ingenium memoriæ antecellit tantùm sit præstantius prudenti suo consilio morbis subuenire quam onustum fœtumque pectus suis vel alienis obseruationibus ad ægros afferre.

CALLIDVM vsus diuturnus, ratio prudentem ac sapientem Medicum facit. Quisquis enim maximè perspicit, quid, cuique naturæ conueniat & celerrimè potest morbum eiusque causas videre, & præscindendi mali confestim explicare rationem, is in medendo prudentissimus & sapientissimus ritè habetur. Sed munus rationis proprium est, vt singulares temperamentorum differentias excutiat, morborum omnes causas videat, & appositè morbo ægrotantisque naturæ medicinam temperet, ea omnia, vix & quasi per nebulam, multo post tempore experientia retegit, dum morborum quasdam similitudines excipit, quæ nisi attentâ mentis acie perpendantur, Medicis sæpissimè imponunt; vt etiam in experientiæ regno plurima sit rationis authoritas: quid enim melius affectuum similitudines comparet quam illa vis animi, quæ sola rerum conuenientias & discrimina iudicat? Vt autem in cognoscendis ita & in curandis morbis dominatur ratio, quæ remedia tam acri & castigato iudicio expendit, vt nullum pluribus licet euentis exploratum vtendum sibi permittat antequam causas morbi examinauerit, ægri naturam, consuetudinem, vires, ætatem, loci aërisque temperiem, & cum his omnibus offerendum remedium commetiatur.

VERSATVR in re infinita Medicus, dum eundem morbum in diuersis temporibus, locis, personis considerat: pro dissimilibus semper naturis & morbis, dissimilis quoque Medicina excogitanda est; quin etiam eodem recurrente affectu vix eadem curatio repetenda sit: prodest tamen aliquid vsus Medico, vt, qui sæpius cum morbis conflictatur, non spernenda calliditate aduersus futuros illorum impetus muniatur. Sed mens acris, versuta, prudens, sola inuictum facit Medicum: siquidem ille omnia ex rationis consilio gerens, nihil de morbis, aut remediis quamprimùm statuit, quod ægris profuturum non sit; medendi verò peritia, quam vsus peperit, inutilis & sæpissimè noxia est nisi rationi obtemperet, quæ similis incœpti successus varios sic obseruare nouit, vt felicibus prudenter vtatur, atque ex aduersis boni aliquid decerpat.

ARTIVM duplex genus: nam aliæ dum otiosâ naturæ alicuius contemplatione, aut rei facilioris inuestigatione tenentur, tam ex seipsis apta habent omnia, quæ ad finem consequendum ferunt, vt falli & cœptis excidere rarò contingat: in his artibus æquo laudis discrimine versantur ratione vel vsu periti artifices. Aliæ sunt, quæ coniecturâ continentur, quæque suspensæ ex infinitarum rerum casu bono, vel contrario, pendere ex opinabilibus euentis, & ingratiis errare sæpè coguntur: in istis ratio experientiæ præstat. Sic Medicinæ magni obiiciuntur errores; in morbis præsertim in quibus, & paruis momentis multa meliora aut deteriora fiunt, & quod semel peccatum est, secunda vt plurimùm, & meliori cogitatione emendari non potest: euentum tamen susceptæ curationis tam regit ratio, vt nunquam aliorsum euasura sit, quam longè ante viderit. Scilicet dubios morborum euentus faciunt, causæ variæ, & nonnunquam contrariæ, fluxæ ægrotantium vires, & sæpe nullo vsu nota locorum tempestatumq; importunitas: nihilominus tantam rerum molem sic versat sagacioris ingenii solertia, vt quamuis ex vsu longo morbis medicinam quæsiuerit: summo tamen, & vnius fermè rationis consilio omnia impertita fuisse successus probet.

Est ergo in Medico ratio experientiâ potior.

Proponebat Lutetiæ ROLANDVS MERLET Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Richer.	*M. Petrus Legier.*	*M. Thomas Gamare.*
M. Mathurinus Denyau.	*M. Ioannes Chartier, M. R.*	*M. Antonius Charpentier.*
M. Franciscus le Vignon.	*M. Ioannes Pietre.*	*M. Franciscus Pijart.*

